



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

**Parisiis, 1644**

Relatio Factae Motionis Inter Domnvm Maximvm Monachvm, Et Socivm  
Eivs, Coram principibus in secretario.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15300**

quibus post obitum Martini ecclesie legitime tamquam verus pastor præfuit, necesse est affirmare, ipsum non amplius quam sex menses & 23. dies Romanæ ecclesie præsedisse. Quod autem Anastasius cognouerit, Eugenium tempore Martini adhuc viuentis ei subrogatum fuisse, patebit verbis immediate hic subsequen-  
Petrus quando Const. episcopus factus.

*Huius temporibus Petrus patriarcha, &c.]* Anno nimirum Christi 653. qui erat Martini pontificis quintus inchoatus. Nam anno Martini quarto, & 652. Christi, teste Nicephoro in chron. obiit Pyrrhus Constantinopolitanus, in cuius locum Petrus subrogatus fuit.

## IACOBI SIRMONDI

## SOCIETATIS IESV

## ADMONITIO AD LECTOREM,

*de sequenti collatione.*

In quæstione de sancto Maximo a iudicibus Constantinopoli habita in secretario palatii, multa sunt animaduersione digna; sed hoc præ ceteris memorabile, quod de apocrifiariorum sedis apostolicæ, hoc est Eugenii papæ, ut reor, legatorum cum Byzantinis vnione commemorat. Rem anno 655. superstite adhuc Martino papa gestam fuisse certa sunt indicia. Quodnam autem id dogma fuerit, cui assentiri legatos coegerunt, declarant epistolæ Maximæ ad Anastasium discipulum, & Anastasii eiusdem ad monachos Caralitanos, quæ ordine subsequuntur. Ex his enim liquet, Monothelitas hæreticos eo tandem prolapsos, ut duas & vnam, id est tres in vno eodemque Christo voluntates & operationes prædicarent. Ceterum peracto hoc iudicio, Maximus Bizyam, quod oppidum est Thraciæ, a Constante imperatore in exilium actus est.

## RELATIO FACTÆ MOTIONIS

## INTER DOMNVM MAXIMVM MONACHVM,

## ET SOCIVM EIVS,

*Coram principibus in secretario.*

Ex collectaneis Anastasii bibliothecarii a reuocando patre Iacobo Sirmundo editis.

**D**IE qua domnus Maximus, & is qui cum eo erat, pene hanc regiam urbem applicuerunt, circa occasum solis, venientes duo mandatores vna cum decem excubitibus, tulerunt eos e naui nudos & discalceatos, & separatos eos abinuicem custodierunt in diuersis excubitibus. Et post dies aliquot adducunt eos in palatium, & introducunt senem in locum, in quem senatus collectus est, & alia multa turba: & exhibent eum in mediū sedentium principum. & dicit ei sacellarius cum ira multa & furore: Christianus es? Et dicit: Gratia Christi Dei vniuersorū Christia-

nus sum. Et dicit ille: Non est verū. Respondit Dei seruus: Tu dicis, sed Deus scit esse me Christianum. Et quomodo, inquit, si Christianus es, odio habes imperatorem? Respondens Dei seruus, ait: Et vnde hoc claret? Odium quippe mentis est occultus affectus, quemadmodum & dilectio. Et dicit ei: Ex his quæ fecisti cunctis factum est manifestum, quod odio habeas imperatorem & rempublicam eius. Tu enim solus Ægyptum & Alexandriam, & Pentapolim, & Africam Saracenis tradidisti. Et quæ est, inquit, horum approbatio? Et falso inducunt Ioannem, qui fuerat facellarius Petri quondam prætoris Numidiæ prouinciæ Africæ, dicentem: Quia ante viginti duos annos auus dominatoris iussit beatæ memoriæ Petro exercitum sumere, & pergere in Ægyptum contra Saracenos: & scripsit tibi tamquam ad seruum Dei loquens, certitudinem habens in te, vtpote in homine sancto, si des ei consilium abire. Et rescripsisti ei, dicens: Nil tale facere, quoniam non bene placitum est coram Deo, vt imperio Heraclii & generis eius cooperetur respublica Romanorum. Dicit seruus Dei: Si veritatem loquitur, vtique habet & Petri ad me, & meam ad ipsum epistolam, quæ deferantur, & subiaceo pœnis a legibus constitutis. Et dicit: Ego non habeo epistolam, sed nec noui si omnino scripserit tibi. Verum hæc in castris per illud tempus omnes loquebantur. Et dicit ad eum Dei seruus: Si exercitus totus hoc fatebatur, quomodo tu solus super hoc me accusas? Vidisti me aliquando, velego te? At ille: Nunquam. Tunc Dei seruus ad senatum conuersus dixit: Si iustum est tales adducere calumniatores vel testes, iudicate. *In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua* Math. 7.2. *mensura metiemini, metietur de vobis*, ait omnium Dominus. Et post hunc adducunt Sergium Magudam dicentem: Ante annos nouem beatus abba Thomas veniens Roma dicit mihi: Papa Theodorus misit me ad Gregorium patricium, vt dicerem ei, ne quisquam timeret. Seruus enim Dei abba Maximus vidit visionem, quod in cælis ad orientem & occidentem chori essent angelorum. Hi vero qui erant in occidente vocem emittebant, dicentes: Gregori auguste tu vincas. & magis sonuit vox occidentalium, quam orientalium voces. Et tunc clamabat facel-

larius: Misit te Deus, vt incendaris in hac vrbe. Dicit Dei seruus: Gratias ago Deo, qui emundat me a spontaneis malis meis per supplicium non spontaneum. Verumtamen vā mundo ab scandalis. Neccffitas enim est, vt veniant scandala. vā autem per quem scandalum venit. Vere non oportebat vt talia dicerentur in præsentia Christianorum, nec impunitos manere illos, qui talia fingunt ad placendum hominibus, qui hodie sunt, & cras non sunt. Hæc vt iste diceret dum Gregorius adiuueret, oportebat, qui & notam illi facere debuit suam circa eum deuotionem. Iustum autem esset, si & vobis quoque videretur, vt accusator qui hunc præcessit, cogeretur abire, ducturus Petrum patricium, & iste abbatem Thomam, & ille beatum papam Theodorum. Et tunc præsentia cunctorum dicerem patricio Petro: Dic domine patrici, scripsisti mihi aliquando super his quæ dixit facellarius tuus, aut ego tibi? Et cum acquieuisset, sub supplicio fierem. Similiter & beato papæ: Dic domine, ego tibi aliquando somnium enarraui? Et cum conuicisset me, illius esset crimen, non meum, qui videram. Res enim non voluntaria est somnium. Porro sola quæ sunt voluntaria punit lex, si dumtaxat sibi fuerint aduersata. Tunc dicit ei Troilus: Iocaris abba? nescis vbi sis? Qui respondens ait: Non iocor, sed lugeo vitam meam hætenus conseruatam, vt huiuscemodi experimentum præstigiorum percipiam. Et dicit domnus Epiphanius: Deus nouit, bene facit, deludens eos, si vera non sunt. Post quem, facellarius iterum cum ira dixit ad eum: Absolute omnes mentiuntur, & tu solus verum dicis? Et respondens seruus Dei, audito verbo cum lacrymis ait: Potestatem habetis, permittente Deo, & viuificandi, & mortificandi. Verumtamen, si isti veritatem dicunt, & fatanas natura Deus est. Si autem non est, sicut nec est, nec isti veritatem dixerunt. Denique nec merear cum Christianis videre aduentum supersubstantialis Dei, factoris videlicet, conditoris, & creatoris, & prouisoris, ac iudicis, & saluatoris vniuersorum, si somnium tale aut vidi, aut alio referente audiui, excepta hora hac a domno Sergio dilecto imperii. Dein tertium calumniatorem proponunt, Theodorum filium Ioannis dudum candidati, cogno-

mento Chila, qui gener est nunc domni Platonis patri-  
 cii, dicentem: Quia collocutione inter nos Romæ facta  
 de imperio, detraxit quod dicebatur, mutiens & sub-  
 fannationes faciens. Ad quem seruus Dei dixit: Nunquam  
 disputavi tecum, nisi semel cum sanctissimo presbytero  
 domno Theocharisto & archifratre propter primice-  
 rium, iussus per literas super hoc. Quod si repertus fuero  
 mentiens, recipiam. Et post hunc quartum adducunt  
 Gregorium filium Photini, dicentem: Quia perrexi Ro-  
 mam ad cellulam abbatis Maximi. & me dicente quia &  
 sacerdos est imperator, dixit abbas Anastasius discipulus  
 eius: Non sit dignus fore sacerdos. Et statim dicit ad eum  
 seruus Dei: Time Deum, domne Gregori, nil tale in  
 huiuscemodi disputatione conseruus meus locutus est.  
 Et cum semet proiecisset in terram, senatui dixit: Susti-  
 nete seruum vestrum, & omnia dico vobis sicuti dicta  
 sunt: & arguat me si mentitus fuero. Hic dominus meus  
 Gregorius veniens Romam dignatus est venire ad cellu-  
 lam serui vestri. Quo viso, sicuti moris est mihi, proieci  
 meipsum in terram, & adoravi eum, & osculatus sum.  
 & dixi ei post sessionem: Quæ causa est desiderabilis ad-  
 uentus domini mei? At ille, Bonus, inquit, & a Deo  
 confortatus dominator noster, sollicitudinem habens pa-  
 cis sanctarum Dei ecclesiarum, iussionem fecit ad diui-  
 nitus honoratum papam, missa etiam oblatione ad san-  
 ctum Petrum, hortatus est eum, quo se præfuli Constan-  
 tinopolitano vniret, quæ mitti per mediocritatem meam  
 dignatum est pium eius imperium. & dixi: Gloria Deo,  
 qui fecit te dignum huiusmodi ministerio. Verumtamen  
 sub quo fieri modo vnitatem a Deo coronata eius iussit  
 tranquillitas, si nosti? Et dixisti: Sub typo. Et dixi: Im-  
 possibile, vt opinor, est hoc. Non enim patiuntur Ro-  
 mani auferri vna cum impuris hæreticorum vocibus san-  
 ctorum patrum luciferas voces, vel simul cum menda-  
 cio veritatem extingui, aut cum tenebris lumen pariter  
 dissipari. Nil nobis quod adoretur erit, si diuinitus osten-  
 sorum fuit verborum ablatio. Et dixisti: Non ablatio-  
 nem sacrarum typus effecit vocum, sed taciturnitatem,  
 vt dispensemus pacem. Et dixi: Est apud diuinam scri-  
 pturam taciturnitas etiam demptio. Deus enim per Da-

*Psal. 18.*

uid dixit: *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Ergo nisi dicantur & audiantur sermones qui de Deo sunt, nec omnino sunt secundum scripturam. Et dixisti: Ne mittas me in filuas, ego sancto contentus sum symbolo. Et quomodo, dixi, potes sancto esse contentus symbolo, suscipiens typum? Et quid lædet suscipere typum, & dicere symbolum? asseruisti. Aio, Quoniam euidenter obtruncat symbolum typus. Et dixisti: Quomodo propter Dominum? Recitemus, dixi, symbolum, & scito qualiter obtruncetur a typo. Et cœpisti dicere: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Attende, dixi, paululum, & disce qualiter apud Nicæam conuenientiū fides negetur. Factor enim non esset Deus voluntate ac operatione naturali priuatus, si volens & non coactus fecit cælum & terram. si veritatem profert

*Psal. 134.*

Dauid in spiritu, dicens: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis.* Si autem dispensationis gratia vna cum credulitate nequam salutaris demitur fides, separatio Dei fit omnimoda: sed non vnitas est huiusmodi species eius quæ dicitur dispensatio. Siquidem cras nefandi Iudæi dicent: Dispensemus in alterutros pacem, & vniamur, & amputemus nos quidem circumcisionem, vos vero baptismū, & non iam inuicem impugnemus. Hoc & Ariani aliquando prætenderunt in scriptis sub magno Constantino dicentes: Auferamus dictum vnus substantiæ, & alterius substantiæ, & vniantur ecclesiæ. & non id admiserunt deiferi patres nostri, sed elegerunt potius persecutionem pati & mori, quam tacere vocem comprobantem vnam Patris & Filii & Spiritus sancti supersubstantialem deitatem. & hæc conhibente his qui hæc prætendebant magno Constantino, sicut a multis refertur, qui ea quæ tunc gesta sunt studiose scripserunt. & nullus imperatorum potuit mediis vocibus suadere deiloquis patribus, vt conuenirent in ea quæ ipsi sectabantur: sed expressis vocibus ac propriis, & dogmati quod quærebatur congruis, vsi sunt, dicentes liquido, quoniam sacerdotum est quærere ac diffinire de salutaribus ecclesiæ catholicæ dogmatibus. Et dixisti: Ergo non est omnis Christianus imperator etiam sacerdos? Et dixi,  
Non

Non est. Neque enim astat altari, neque post sanctificationem panis exaltat eum, dicens: Sancta sanctis. Neque baptizat, neque chrismatis confectionem patrat, neque facit episcopos, vel presbyteros, aut diaconos: neque linit ecclesias, neque indicia sacerdotii fert, superhumeralia scilicet & euangelium, quemadmodum imperii coronam & purpuram. Et dixisti: Et quomodo scriptura regem & sacerdotem dicit esse Melchisedec? Et dixi: Vnius natura regis cunctorum Dei, natura etiam ob salutem nostram pontificis facti, vnus erat typus Melchisedec. Quod si secundum ordinem Melchisedec, alium dicis esse regem & sacerdotem; & reliqua præsume dicere, id est sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habentem. & aduerte quod ex hoc oriri valeat malum. Alius quippe talis reperietur Deus incarnatus secundum ordinem Melchisedec, & non secundum ordinem Aaron salutem nostram perficiens. Verumtamen, quid volumus per multa discurrere? Inter sacras oblationes supra sanctam mensam post pontifices, & sacerdotes, & diaconos, omnemque sacratum ordinem, cum laicis imperatores memorantur, dicente diacone: Et eorum, qui in fide dormierunt, laicorum, Constantini, Constantis, & ceterorum. Sic autem & viuorum memoriam facit imperatorum post sacratos omnes. Hæc eo dicente, clamat Mennas: Hæc dicens scidisti ecclesiam. Et dicit ad eum: Si is qui dicit ea quæ sanctarum sunt scripturarum, atque sanctorum patrum, scindit ecclesiam, qui adimit sanctorum dogmata, quid monstrabitur ecclesiæ faciens, sine quibus nec dici ipsam ecclesiam est possibile? Et conuersus facellarius dixit hominibus exarchi cum clamore: Dicite exarcho: huiusmodi hominem debebas dimittere viuere vbi præes? Et cum eduxissent eum foras, intromittunt discipulum. A quo cum exegissent, vt diceret contra magistrum, quod tribulauerit Pyrrhum: respondit quieta voce quæ veritatis erant, quia nemo honorauit Pyrrhum vt honorauit magister meus, & iubetis clamare. Quia vero passus non est a decenti monachos reuerenda voce diuertere, iubetur percuti ab his qui astant. & pugnis summisum semimortuum reddiderunt. Quibus dimissis

ad carceres, venit ad senem Mennas, dicens in præsentia principum: Misit te Deus, & duxit te huc, vt recipias quæcumque in alios fecisti, seducens omnes in Origenis dogmata. Ad quem seruus Dei coram omnibus dixit: Anathema Origeni, & dogmatibus eius, & omni consentaneo eius. Et dicit Epiphanius patricius: Destructa est, domne abba Menna, querimonia, quæ a te aduersus eum illata est, quoniam & si esset Origenista, ex quo anathematizauit eum, ab huiuscemodi sese liberauit querela. Interim ergo tale dictum super eo vltius non admittam. Et inductus est vnusquisque ipsorum in locum, in quo custodiebatur. Et eadem die circa tactum lucernæ, Troilus patricius, & Sergius Eucratas, qui erat super imperatoriam mensam, venerunt ad seruum Dei senem, & sedentes iusserunt etiam illi sedere. & dixerunt ad eum: Dic nobis, domne abba, motionem dogmatum, quæ inter te & Pyrrhum Romæ & in Africa facta est: & quibus ei verbis persuaseris anathematizare proprium dogma, & tuo pacisci. Et enarrauit eis omnia per ordinem quæcumque retinere memoria valuit. Addidit autem & hoc, dicens: Ego dogma proprium non habeo, sed commune catholicæ ecclesiæ. Neque enim moui vocem quâlibet, vt proprium meum dicatur dogma. Et post totam narrationem dicunt ei: Non comunicas throno Constantinopolitano? Et dixit: Non cōmunico. Quamobrem non comunicas? dixerunt. Respondit: Quia sancta quatuor Concilia eiecerunt per illa nouem capitula, quæ facta sunt Alexandria, & per ecthesin, quæ in hac vrbe a Sergio patrata est, & per typū, qui nuper, id est per sextam est indiotionem expositus. & quia quæ per illa dogmatizauerunt, per ecthesin damnauerunt: & quæ dogmatizauerunt per ecthesin, per typum irrita statuerunt, & deposuerunt semetipsos totiens. Illi igitur, qui a seipsis damnati sunt, & a Romanis atque a Synodo, quæ post hæc per octauā indiotionem facta est, sunt depositi, & sacerdotio denudati, qualia celebrant rogo mysteria? Aut qualis spiritus ad ea quæ a talibus celebrantur, aduenit? Et dicunt ei: Ergone tu solus saluaris, & omnes peribunt? Et dixit: Neminem damnauerunt tres pueri non adorantes iconam, cum hanc omnes homines adorarent. Non enim intendebant ea quæ



aliorum erant, sed intendebant quatinus ipsi non deciderent a vera pietate. Sic & Daniel missus in lacum leonum, non damnauit quemquam eorum qui non adorauerant Deum secundum Darii sanctionem: sed quod suum erat intendit, & elegit mori, & non cadere a Deo, & a sua conscientia flagellari in prauaricatione eorum, quæ legalia sunt natura. Mihi que Deus non det damnare quemquam, vel dicere quod solus ego saluer. Quantum autem valeo, eligo mori, quam terrorem habere in conscientia, quod in fide, quæ in Deum est, per quemlibet errauerim modum. Dicunt ei: Et quid facies, cum Romani vniti Byzantiis fuerint? Ecce enim heri venerunt apocrisarii Romani, & cras dominico die communicabunt patriarchæ: ac per hoc omnibus manifestum fit, quod tu subuerteris Romanos. Denique te illinc ablato, mox consenserunt his qui hic sunt. Et dixit ad eos: Hi qui venere, præiudicium quoquo modo sedi Romanæ, quamuis communicent, eo quod non detulerint ad patriarcham epistolam, non faciunt. & non credo aliquando quod Romani vniantur istis, nisi confessi fuerint Dominum nostrum & Deum secundum vtrumque eorum, ex quibus est & quæ est, esse, & natura voluntarium, & operatorium habere salutis nostræ. Et dicunt: Quod si connexi fuerint his Romani, quid facies? Et dixit: Spiritus sanctus etiam angelos anathematizat, præter id quod prædicatum est quid innovantes. Et aiunt: Vtique necessitas est voluntates dici in Christo, & operationes. Respondit: Omnis necessitas est, si dumtaxat pie reuera sapere volumus. Nihil enim eorum quæ sunt, sine operatione naturali subsistit. Sancti namque patres manifeste dicunt, non esse, nec sciri, sine substantiali operatione, quæ hanc substantialiter caracterizet. quomodo esse Christum, aut agnosci Deum natura veraciter & hominem est possibile? Amisso quippe secundum sanctos patres fremibili, leo non iam leo; & latrabili, canis non iam canis; & aliud quodcumque, perditum quod se naturaliter commendabat, non vltius est quod erat. Et dicunt ei: Nouimus vere quod ita sit. verumtamen ne contristes imperatorem, qui propter pacem tantummodo fecit typum: non in ademptionem cuiusquam eorum quæ in Christo intelliguntur, sed ad pa-

cem silentium vocum quæ faciebant disensionem, dispensans. Et proiciens se Dei seruus in terram cum lacrymis dixit: Non debuerat contristari benignus & pius dominus aduersus humilitatem meam. non enim possum contristare Deum, tacens quæ ipse nos loqui & confiteri præcepit. Si enim secundum sacratissimum Apostolum ipse est, qui posuit in ecclesia primo apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, perspicuum est quod ipse sit qui per istos locutus est. Per totam ergo sanctam scripturam, tam scilicet vetus quam nouum testamentum, sanctosque doctores, ac Synodos, edocemur voluntatis & operationis tam in diuinitate, quam in humanitate, incarnatum Deum esse capacem. In nullo enim eorum, quibus vt Deus scitur, vel eorum quibus vt homo natura cognoscitur, excepto dumtaxat peccato, est imperfectus. Si autem perfectus est in vtroque, sicut in nullo ex ambobus est minoratus; manifeste totum ipse adulterat sacramentum, qui non confitetur eum esse quod est, cum existentibus sibi omnibus naturalibus idiomatibus, ex quibus, & in quibus, & quæ esse probatur. Et cum paululum tacuissent, & ad inuicem innuissent, aiunt: Vnde potes ostendere, quod sanctas Synodos abiiciant hi, qui sunt throni Constantinopoleos? Qui dicit eis: Iam partim ostensum est per ea, quæ Romæ locutus sum ad dominum Gregorium a secretis. Et nunc, si placet dominatori vt hoc ostendatur, iubeat dari licentiam indigno seruo vestro, & facio notitiam librorum, quoniam mei ablati sunt: & cunctis hoc manifestum facio sine qualibet prauitate verborum. Et deinde cum alia multa dicta fuissent, in scripturales, ac naturales, & artificiales conuersi sunt exercitationes & theorias, quibus delectati, hilariores effecti sunt, & cœperunt dicere: Nouit Dominus, profecimus, & ex hoc vobis molestiam non ingeremus. Porro, dominus Sergius dixit ei: Sæpe veni ad cellulam tuam in Bellas, & audiui doctrinam tuam, & Deus auxiliabitur tibi, ne sollicitus sis. In vno vero solummodo contristas omnes, quia videlicet multos facis separari a communionem huius ecclesiæ. Est aliquis qui asserat, ait Dei seruus, quod dixerim, Ne communices ecclesiæ Byzantium? Respondit dominus

Sergius: Hoc ipsum, inquit, quo ipse non communicas, magna est apud omnes procul dubio vox non communicandi. Et Dei seruus: Nil, ait, certius est quam conscientia, quæ accusat: & nil eo, cui hæc testimonium perhibet, maiorem habet fiduciam. Ceterum, cum audisset domnus Troilus, quod typus anathematizaretur in toto occidente, dicit ad seruum Dei: Bonum est, quia pii dominatoris nostri opinio iniuriis laceratur? Respondit seruus Dei: Deus ignoscat his, qui dominatori facere typum persuaferunt, & his qui permiserunt. At ille: Qui ait, sunt, qui persuaferunt, & qui sunt qui permiserunt? Respondit: Hi qui erant ecclesiæ suaserunt, & principes permiserunt. Et ecce sordes a fontibus in insontem & omni hæresi purum excussa est. Sed consilium date, vt faciat quod fecit piæ memoriæ quondam auus eius. Ille quippe sentiens, quod in vituperium eius in occidente quidam prorumperent, per epistolam liberum se fecit ab ecclesiæ querimonia, scribens: Ecthesis, inquit, non est mea: neque enim ego vel dictaui, vel iussi vt fieret. Sed cum hanc Sergius patriarcha composuisset ante quinque annos prius quam ab oriente repedassem, deprecatus est me, cum ad hanc felicem peruenissem urbem, vt nomine meo proponeretur cum subscriptione. & suscepi deprecationem illius. nunc vero cognoscens, quod quidam super ea altercarentur, cunctis facio manifestum, quia non est mea. Hanc fecit iussionem ad beatum Ioannem papam, condemnantem ecthesin in his quæ scripserat tunc ad Pyrrhum. Et ex eo tempore vbique Sergii esse dicitur ecthesis. Hoc faciat & is qui pie in nobis imperat, & permanebit omnino intemerata ab omni reprehensione opinio eius. Tunc mouentes capita siluerunt, hoc tantum dicentes: Omnia difficilia, & perplexa. His itaque & aliis diuersis edictis, adorati & adorantes, cum omni hilaritate discesserunt. Et rursus alio sabbato adduxerunt eos in palatium, & introducunt primo discipulum senis, conuenientibus etiam tunc duobus pariter patriarchis. Et ducunt Constantinum & Mennam senis accusatores, exigentes a discipulo, quo acquiesceret his quæ a se dicerentur. At discipulus cum fiducia omni ad senatum intrepide dixit: Constantinum introducitis in secretarium palatii? Hic neque presbyter est,

neque monachus, sed tribunus thymelicus. innotuit Afris atque Romanis, quales mulierculas pascens illinc venerit. Nam & omnes didicerunt versutias eius, quas exercuit ut lateret, modo quod sorores suæ fuerint dicens, modo quod ne communicarent ecclesiæ Constantinopolitanae, tulerit eas, affirmans, ne videlicet polluerentur hæretica communione. Verum etsi rursus sibi defecerint epulæ, & inuenerit locum se non agnoscentem, eadem facit turpis lucri gratia, & fordida voluptatis. Ingensque confusio est saltem loqui cum eo his, qui religiose viuere volunt. Deinde interrogatus si typum anathematizasset, intrepide dixit: Non solum anathematizavi, sed & libellum feci. Ergone, aiunt ei principes, confiteris te male fecisse? At ille: Non tribuat Deus, ut quod bene & secundum ritum ecclesiæ feci, dicam factum fuisse non bene. Et super multis interrogatus, cum respondisset secundum quod sibi largitus est Deus, educitur de secretario. Et introducunt fenem, & dicit ad eum dominus Troilus: Dic abba, vide, dic veritatem, & miserebitur tui dominator. Nam si ad legalem inquisitionem venerimus, & inuenerit saltem vnum verum ex his, de quibus accusaris, lex occidet te. Et dixit: Iam dixi, & iterum dico. Si vnum tantummodo ex his quæ dicitis, est verum, & satanas Deus est. Si vero non est Deus, sed apostata; & ea super quibus accusor, falsa sunt, & minime subsistentia. Verum tamen quidquid iubetis facere, facite. Deum colens non iniuriam patior. Et dicit ei: Non anathematizasti typum? Respondit: Multotiens dixi, quia anathematizavi. Et dicit ei: Typum anathematizasti, imperatorem anathematizasti. Respondit Dei seruus: Ego, inquiens, imperatorem non anathematizavi, sed chartam alienam ab ecclesiastica fide. Et dicit ei: Vbi anathematizatus est a Romana Synodo? Respondit: In ecclesia Saluatoris, & in Dei genitricis. Tunc dicit ad eum præfectus: Communicas ecclesiæ huic, an non comunicas? Respondit, & dixit: Non comunico. Dicit ei: Quare? Respondit: Quoniam foras eiecit Synodos. At ille: Si foras, inquit, eiecit Synodos, quomodo in diptychis recitantur? Et dicit: Et qui profectus est nominum, cum dogmata sint eiecta? Et potes, ait, hoc ostendere? Et dixit. Si accepero licentiam, & iusseritis,

ostendetur hoc oppido facile. Et tacentibus omnibus, dicit ei facellarius: Quare diligis Romanos, & Græcos odio habes? Respondens autem Dei seruus ait: Præceptum habemus, ne quemquam odio habeamus. Diligo Romanos, vt vnā mecum habentes fidem: Græcos autem, vt eadem qua ego lingua loquentes. Et iterum dicit ei facellarius: Quot annorum dicis esse te ipsum? Respondit: Septuaginta quinque. Et dicit ei: Quot annos habet tecum discipulus tuus? Respondit: Triginta septem. Tunc vnus clericorum exclamauit: Retribuit tibi Deus quæcumque fecisti beato Pyrrho. Ad quem nihil omnino respondit. Cum autem tanta in secretario dicta fuissent, nullus penitus patriarcharum quidquam effatus est. Cumque sermo de Synodo Romana motus extitisset, clamat Demosthenes: Non est firma Synodus eo, qui hanc celebravit, deposito. Ad quod seruus Dei: Non, inquit, depositus est, sed expulsus. Nam quæ sub gestorū serie synodica & canonica facta est actio continens eius diligentis relatione depositionem? Verumtamen etiam si canonicè depositus extitisset, non faceret hoc præiudicium his, quæ orthodoxe secundum sacras regulas sunt firmata: quibus etiam quæ scripta sunt a sanctæ memoriæ papa Theodoro, congruunt. Et dicit his auditis domnus Troilus: Nescis quid dicas abba. Quod factum est, factum est.

Hæc sunt, quantum memoria retinet, quæ mota & dicta sunt, & tali ea quæ in illos gesta fuere, terminata sunt fine; dimisso quoque sancto senē a secreto in carcerem. Postera vero die, quæ fuit dominica, concilio facto, hi qui erant ecclesiæ, persuaferunt piissimo imperatori, hoc eos amaro & inhumano exilio condemnandos, & abinuicem diuidendos. Sanctum quidem senem penes Byzohē castrum Thracæ prouinciæ: porro discipulum eius apud Perberim, quod exterius nec passum pedis Romanorū habet imperium: nudos, sine prouisione, sine causā, atque omni ad viuendum occasione carentes, non appropinquantes mari, ne haberent ex misericordiis visitationem. & ita sunt nudi, & sine alimentis, solam habentes spem Dei. & hoc omnes Christianos rogantes atque clamantes: Orate propter Dominum, vt consummet Deus misericordiam suam cum humilitate nostra, & doceat nos.

Math. 8.  
v. 25.

Nam & ipsi qui cum eo nauigant, efferi experimentum accipiunt maris, ventis quidem & fluctibus scapha concussa, sed stabili penitus permanente. Permittit quippe magnis eos temptari procellis, eorum erga se probans affectum, quatinus voce grandi exclament: *Domine, salua nos, perimus*: discantque omnia illi soli adscribere, quæ suæ noscuntur esse salutis: & ne confidentes sint in se, tranquillitatemque consequantur magnam, ventis sedatis & fluctibus. & in medium eos luporum dat, & per angustam portam intrare, & per artam incedere semitam iubet. & famem, ac sitim, & nuditatem, & vincula, & carceres, & abductions & verbera, & crucem & clauos, & acetum & fel, & sputa & alapas, & colaphos & ludibria proponit, & passionem, & mortes multimodas. quorum finis splendidissima est resurrectio, ferens secum pacem his qui propter illum persecutionem sunt passi, & ascensum in caelos, & ascensum ad paternum & super substantialem thronum, & sortem quæ est super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, siue in hoc sæculo, siue in futuro. Cuius participes efficiamur omnes, orationibus & intercessionibus superlaudabilis & præ omnibus venerabilis & gloriosæ, proprie ac natura Dei genitricis, semperque virginis Mariæ, sanctorumque apostolorum, prophetarum, ac martyrum. Amen.

*Eiusdem sancti abbatis Maximi ad Anastasium  
monachum discipulum suum.*

Heri, quod fuit octauadecima mensis dies, qua solennitas agebatur sanctæ mediæ Pentecostes, patriarcha significauit mihi dicens: Cuius ecclesiæ es, Constantinopolitanæ, Romanæ, Antiochenæ, Alexandrinæ, an Hierosolymitanæ? Ecce omnes vna cum subditis sibi prouinciis adunatæ sunt. Igitur si es catholicæ ecclesiæ, vnire, ne forte extraneam & nouam viam conuersatione tua reperiens, patiaris quod non speras. Ad quos dixi: Catholicam ecclesiam Deus omnium esse prænuntiauit, rectam & salutarem fidei in se habitæ confessionem, Petrum beatum dicens in quibus se bene confessus est. Verumtamen discam

con-

confessionem, supra quam omnium ecclesiarum facta est unitas, & ab eo quod bene gestum est nequaquam alienabor. Et aiunt: Licet non habeamus super hoc iussionem, dicimus, vt efficiaris penitus inexcusabilis. Duas fatemur operationes ob diuersitatem, & vnam propter vnitionem. Duas propter unitatem asseritis factas: an præter has dixi aliam? Non, inquiunt: sed duas vnam propter vnitionem. Caruimus, dixi, rebus, nobismetipsis sine subsistentia fidem, & sine existentia Deum fingentes. Si enim in vnam confundimus duas propter vnitionem, & rursus in duas separamus vnam propter differentiam, non erit vnalitas, neque dualitas, operationibus inuicem separatis semper, & patrantibus inoperatiuum & penitus insubstantiuium eum cui inerant. Quod enim ex natura nullum habet qui auferri possit, vel aliqua ratione vicissitudinis commutari & intercidere motum, omni caret substantia secundum patres, non habens operationem substantialiter sed characterizantem. Hoc itaque dicere nequeo. neque enim sic edoctus sum a sanctis patribus confiteri. quod libuerit vobis, potestatiui cum sitis, facite. Ergo audi, dixerunt. Visum est dominatori & patriarchæ per præceptum papæ Romani, vt anathematizeris nisi obedias, & destinatum ab eis perferas mortem. Quod a Deo ante omne diffinitum est sæculum, finem accipiat, ferens sibi gloriam ante omne sæculum scitam, illis cum hæc audirem, respondebam. Et vt cognoscas, & additamentum orationis & deprecationis facias Deo; manifesta tibi quæ denuntiata sunt mihi exhibui: rogans quatinus hæc domno Thio, & sanctis patribus, qui illic simul cum eo sunt, nota constituas eiusdem rei gratia.

*EIVSDEM SANCTI ANASTASII MONACHI  
discipuli sancti abbatis Maximi ad commune monachorum  
apud Caralim constitutorum collegium.*

**M**VLTA scribere nos etiam præter votum tempus prohibuit. Omnia vero in vno nota facimus verbo sanctissimis vobis. Hi qui alterius sunt partis diffinitione immobili vt est, & propriæ maxime professionis constitui paternam non malunt doctrinam, sed alterius impelluntur opinionibus, quas & dinumerare operosum de cetero